



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 84. Anglici Senatus edictum in favorem Elisabethæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.  
A.C 1571.

ro Jesuitas in Angliam delatos, omnesque, qui eos receperunt, tanquam læsæ Majestatis reos declaravit: nec his contenta postmodum harum pænarum severitatem augens ad gravissimas pecuniarum multas condemnavit illos, qui Anglicanæ sectæ conventiculis interesse recūsarent, eos autem, qui ab hac hæresi recedere Anglis persuaderent, perduellionis reos pronuntiavit: insuper omnibus, cujuscunque conditionis essent, a Senatu prohibitum, ne pro illis, qui ob violatas Regni leges in vincula conjecti essent, deprecarentur, præterea sancitum, ut omnes illi, qui ad eos in libertatem asserendos quovis pacto suam operam contulissent, nisi id judicii auctoritate factum fuisset, ipsimet tanquam læsæ Majestatis crimini haberentur obnoxii (\*).

§. LXXXIV.

*Anglici Senatus edictum in favorem  
 Elisabethæ.*

Edito

(\*) En egregium libertatis conscientiæ exemplum, ex quo manifeste elucet, quod hæretici hanc libertatem tantum ideo deprædicent, ut vitæ licentia diffluentes se ab omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ legibus eximant, & Catholicos divexandi obtentum aquirant.

**E**dito Pii V. diplomate adversus Eli-  
 sabetham pariter idem Senatus  
 alia promulgavit edicta, maxime severa  
 contra eos, qui quicquam in Reginam  
 molirentur, aut eidem bellum in-  
 ferrent, vel illam hæreticam, schisma-  
 ticam, atque infidelem nuncuparent,  
 seu edicerent, quod Regnum nullo pa-  
 cto ei competeret, aut eidem adhuc  
 vita superstiti alium designarent succes-  
 sorem præter eos, qui ex linea mater-  
 na descendunt. Præterea sancitum,  
 omnes illos perduellionis reos fore, qui  
 per summi Pontificis literas quempiam  
 Ecclesiæ Romanæ conciliarent, vel re-  
 conciliati fuerint, bona vero eorum, qui  
 in Angliam numismata, vulgo *Agnus  
 Dei* dicta, rosaria, vel Christi Crucifi-  
 xi imagines deferrent, regio ærario esse  
 addicenda, & insuper eos perpetui carce-  
 ris pæna esse conficiendos itatuebatur.  
 Hujus sanguinarii edicti prima victima  
 cecidit Joannes Storia Anglus, juris Do-  
 ctor, ac olim in Universitate Oxfordien-  
 si Professor, qui e Belgio, quo ferven-  
 tibus Angliæ tumultibus confugerat,  
 eductus, atque de clandestino consilio  
 cum Elisabethæ hostibus habito infimulatus  
 in vincula conjectus est, cum au-  
 tem impactum hoc crimen fateri non  
 posset, nonnisi ad subeundam mortis  
 pœnam e carcere educebatur.

§, LXXXV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1571.

Spond. an-  
 nal. n. 8.

Thoiras hist.

Anglic. l. 17.

t. 6. p. 312.